

aquae fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant; cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem, nemore opacam, concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: et continuum sex dierum iter emensi, septimo, pulsus cultoribus, obtinere terras, in quis urbs et templum dicata.

IV. Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursus concessa apud illos, quae nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem, sitimque depulerant, penetrati sacravere: caeso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Aegyptii Apin colunt. Sue abstinent memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur: et raptarum frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento, retinet. Septimo die otium placuisse, ferunt: quia is finem laborum tulerit: dein, blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviae datum. Alii honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos, et conditores gentis accepimus; seu quod e septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia, stella Saturni feratur; ac pleraque caelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant.

V. Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur: cetera instituta sinistra foeda pravitate valuere. Nam pessimus quisque, spretis religionibus patriis, tributa et stipes illuc congerebant: unde auctae Judaeorum res. Et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promitu, sed adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent: inter se nihil illicitum. Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem